



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XXXV. Quod non est securitas a tentatione in hac vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

CAPUT XXXV.

*Quod non est securitas a tentatione
in hac vita.*

1. **F**ili, nunquam securus es in hac
vita, sed quoad vixeris, sem-
per arma spiritualia tibi sunt neces-
saria.

Inter hostes versaris, & a dextris
& a sinistris impugnaris.

Si ergo non uteris undique scuto
patientiae, non eris diu sine vulnere.

Insuper, si non ponis cor tuum
fixe in me, cum mera voluntate
cuncta patiendi propter me: non
poteris ardorem istum sustinere, nec
ad palmam pertingere beatorum.

Oportet te ergo viriliter omnia
pertransire, & potenti manu uti ab-
versus objecta.

Nam vincenti datur manna, &
torpenti relinquitur multa miseria.

2. Si quæris in hac vita requiem,
quomodo tunc pervenies ad æternam
requiem?

Non

Non ponas te ad multam requiem,
sed ad magnam patientiam.

Quære veram pacem non in ter-
ris, sed in cœlis: non in homini-
bus, nec in cœteris creaturis, sed in
Deo solo.

Pro amore Dei debes omnia liben-
ter subire, labores scilicet, et dolo-
res, tentationes, vexationes, anxie-
tates, necessitates, infirmitates, in-
jurias, oblocutiones, reprehensiones,
humiliationes, confusiones, corre-
ctiones, & despectiones.

Hæc juvant ad virtutem: hæc pro-
bant Christi tyronem: hæc fabricant
cœlestem coronam.

Ego reddam ei mercedem æternam
pro brevi labore, & infinitam glo-
riam pro transitoria confusione.

3. Putas, quod semper habebis
pro tua voluntate consolationes spi-
rituales?

Sancti mei non semper habuerunt
tales, sed multas gravitates, & ten-
ta-

tationes varias, magnasque defolationes.

Sed patienter sustinuerunt se in omnibus, & magis confisi sunt Deo, quam sibi, scientes: quia non sunt condignæ passionis hujus temporis ad futuram gloriam promerendam:

Vis tu statim habere, quod multum post multas lacrymas, & magnos labores vix obtinuerunt?

Expecta Dominum, viriliter age, & confortare: noli diffidere; noli discedere: sed corpus & animam expose constanter pro Dei gloria.

Ego reddam plenissime: ego tecum ero in omni tribulatione.

CAPUT XXXVI.

Contra vana hominum iudicia.

I. **F**ili, jacta cor tuum firmiter in Domino, & humanum ne metuas iudicium, ubi te conscientia pium reddit & insontem.

Bonum est, & beatum taliter pati, nec hoc erit grave humili cordi, &

Deo